



De ALAHVACAPATLI
LEPTOPHYLLO. seu Lubrico,
& tenui folio medicamento.
Cap. LII.

HERBA est *Alahuacapatli*, folia fundens tenuia, Lini familia, sed minora. flores candentes. radicem verò albam, pellucidam, fibratam, atque contortam. Nascitur regionibus frigidis *Taualiuhcani*, iuxta accliuia montium loca. Radix trita, & semiuncia pondere, ex aqua Buglossi, aut fontana deuorata, humores omnes vacuat. Est & alia *Alahuacapatli* spinifera, quæ ad Tunarum species est referenda, de qua suo loco tractabitur.

De APARAQVA. Cap. LIII.

APARAQVA herba est radici insistens longæ, lentæ, ac per interualla tuberosæ. vnde prodeunt caules multi, hominis æquantés altitudinem, & propinquas arbores scandentes, folijs ornati virentibus, Mali Medicæ folijs non plurimum dissimilibus. candentes, ac modici flores. & fructus nullus. Ius decocti radicum epotatum, medetur doloribus è Gallica lue profectis. bubonibusque, ac vitiatæ motioni fert opem. Nascitur in calidis, & arenibus *Huacana* locis.



De CACAMOTIC TLANOQUILONI, seu Batata,
purgatiua. Cap. LIV.



HERBA, quam *Cacamotic Tlanquiloni* quidam vocant, alij *Caxtila-lapan*, alij vero *Apitzalpatli* solent nuncupare, folia fert appellatæ Amazonicæ forma, Hæderæ vè, sed angulis quibusdam insignia. caules exiles, teretes, & volubiles. flores maluaceos, & purpureos, calyculorum forma, cymbalorumuè. radicem verò obrorundam, candentem, & teneram. Nascitur regionibus calidis, temperatisque, sponte sua, ac etiam culta pertinaci quadam viuacitate, quales sunt *Pabuatlanenses*, & *Mexicenses*. possertque in nonnulla Hispaniæ transferri loca. Radices, duarum vnciarum mensura, deuorata cubitum tendenti, aluum mira lenitate & securitate expurgant. tracta etiam è venis bili, ac reliquis humoribus. quid quod dulci sapore, & grato constat, nec macianis, pyrifuè nostratibus cedente. Clamitet modò improba, & semper quæ-

nula mortalitas mille passim pharmacis excarnificari, in tanta medicamentorum blandissimorum fecunditate, & benignitate naturæ.

(Lusus lib. 4. rariorum plantarum cap. 51. tria *Batatas* describit genera colore distincta. cortice videlicet purpurascense, pallescense, albo. quæ omnia in alimentum Americanis & Hispanis cedunt. Addit noster Auctor quartam speciem medicamentosam cuius, flor. in air *Maluæ* similem. vnde omnes has species, Cucumeraceis, non *Sisaro*, cuius quidem saporem refert, adnumerandas esse iudico.

Vide etiam *Monardem* cap. 53.



De COAPATLI *Asphodelina.*
Cap. LV.




COAPATLI *Asphodelina*, herba est radices longas fundens, candidas, *Asphodelinis* non absimiles, vnde indicum est cognomen, aut *Malalyric*. & ex eis folia proluxa, & *Porraceis* paria. flores in postremis caulibus veluti spicatos, & *Stæchadis* capitibus persimiles. Nascitur *Quahuila Huirzlacensi*. Radices sunt molles, & refertæ succo, insigni sapore & odore carentes, frigidaque, & humentis temperiei. tusæ, & admotæ auxiliantur ictibus serpentium. idemque præstant ex aqua buglossæ epotæ.

De COAPATLI YANCVITLANENSI.
Cap. h. LV I.

HERBA est *Coapatli Yancuitlanensis*, ramulos frequentes mittens, folijs ornatos longis, angustis, hirsutisque, & infernè subalbidis. luteolque flores. radicem verò longam tenuemque. Nascitur in collibus frigidis *Mysticæ superioris*. Frigida videtur, & lubrica natura. Medetur venenatis potionibus, ictibusque serpentum, ter aut quater per singulos dies admota vulnere, aut semivnciæ mensura, è liquore congruenti resoluta, atque epota.





COACIVIZPATLI herba est folia Buglosi, statim ab ipsa radice fundens. caules folijs paulò altiore, tres . quatuorue, læues, teretes, tenues, ac rubeos flores in summis eorum partibus, è viridi rubescentes. radicem verò minimum digitum crassam, fibratamque. Nascitur in calidis regionibus *Papalotipaci* inter saxa, præruptis cauisque locis. adeo autem est mirabile sanandis doloribus medicamentum, vt inde inuenerit nomen. Insigni sapore caret, & tamen nonnullum calorem participat. Aiunt, ius decocti illius, mirabile esse aduersus Gallicam luem. mensura foliorum esto manipuli tres, & aquæ totidem libræ. Decoquenda verò sunt ad tertias, & sorbendæ singulis diebus decem vnciæ matutino, velut ius decocti *Guayaci* assumi solet. Quin etiam interdiu potandum est. ita quosuis dolores, ac præcipue articularum, placat.

Flos fere similis Limonie.

De COANENEPILLI seu Contrayerua. Cap. LIX.



COANENEPILLIS, quam alij *Yztac Coanepilli*, alij *Coapatli*, alij *Coatli Xochitlanensem* vocant, herba est folia ferens lunæ crescentis in modum, aut solearum quibus calcantur iumenta, signata quoque clavis luteo colore. caules volubiles, teretes, exiles, ac ornatos per interualla prænarratis folijs, item capreolos, & flores multicolores, *Vetonica* ferè forma, sed longe minores. radicem verò prolixam, & conuolutam, minimum digitum crassam, fibratamque, cuius est vsus in medicina. Nascitur multis in locis agri *Mexicani*, sed præcipue *Xochitlani*, vbi eius vires sunt primò exploratæ, atque repertæ.

Cc

Radix

Radix namque est nonnihil dulcis, calidaque & sicca ordine fere secundo, & odora. quam tufam atque deuoratam trium vnciarum pondere, aiunt mederi spleni, restaurare motum impeditum, sedare dolores, appetentiam excitare, euocare vrinam, calorem temperare, ventris dolorem lenire, semen retentum pellere, ac per somnos in somnia uè, à suis iam penè sedibus diuulsam, viperarum obsistere ictibus, venenatis potionibus, venenisq. alijs vim omnem adimere, expurgatis statim per inferna. præseruare etiam à meretricum veneficis insidijs, nocuisq. cibarijs, qua die fuerit deuorata. demum venenorum omnium, perniciosam vim hebetare. Sunt qui flores idem prætare existiment.

Flores similes quidem sunt colore, Vetonice Altili, sed minores, & Bryonia forte potius comparari possunt, inter cuius species reponi possunt. Bacca colore ex Castaneo ad nigrum tendente pinguntur.

Contrayerua tantopere contra omnia venena celebris, est vel hec ipsa herba, vel saltem congener. id enim mihi confirmarunt duo Monachi, qui in Mexico multis annis habitauerunt. & patebit amplius ex his, que de viribus huius herbe à Reuerendo Patre assistente Hispania acceptis subiiciam, ex Hispanico translata. Hæc Radix est contra omnia venena, pestem, & Speciatim eius mira effecta videbis in sequentibus. Drachma vna, vel squadrachma, si persona vires sufficiant, & grauitas morbi requirat, in quinque vel sex vncijs aquæ repide, mane vel vespere sumptas, deinde sudor procuretur, seruit per Tauadello. repete bis, vel ter. & licet videatur incendere, & augere calorem, tamen eum potius expellit, Similiter ad dolorem lateris, ventriculi, artuum, capitis, Ischiadis, matricis prodest. in morsu araneorum, viperæ, serpentis, & aliorum venenatorum animalium, est mirifica, nec est quidquam quod tam cito suos præstet effectus. & tandem est vnicum remedium in omnibus morbis usurpata ut supra. Radix quidem varias habet figuras, omnes tamen ex planta sunt eiusdem speciei, referuntq. quasi omnium animalium venenatorum effigies, ut inde cognoscamus earum esse antidotos. Aqua vel vinum, in quibus radix sicca imposta fuerit, si bibatur quotidie ad prandium, præseruabit à peste, Melancholia, iuuabitq. digestionem, & dissipabit flatus, ventriculum confortabit. Et qui vsus fuerit hæc bibendi ratione, nunquam ad morbos erit procliuis. Hæc radix melior est quam Bezaar vel Theriaca, vel Vnicornu, in suis effectibus. Vocatur hæc herba Contrayerua id est contra venena, item Cocuanenepille, Cocuapalli, Heccematzi, hæctenus ille. Hæc nomina videmus etiam à nostro Authore huic plantæ tribui.

De Planta, quam Cocam Peruinam vocant. Cap. LIX.

HERBA est Coca Peruina, vt audio, quatuor spithamas, plus minusve longa, folijs Myrti, sed paulò maioribus, mollioribusque, diluti virosis, & in quibus alterius minoris folij imago est expressa, semine verò racematim dependente, & Myrti instar, cum maturefcere incipit, vergente in rubeum colorem, & tandem nigricantem. quo tempore folia colliguntur, in cratibusq. exiccantur, ac reconduntur in vsus. Quod spectat ad culturam, semen in primis serendum est in seminarijs, deinde transferendum, atque ordine veluti fabæ,

fabæ, & ciceris, disponendum, repastinato & culto solo. miscent folia dentibus commansa, pulueri tellinarum vstarum, in catapotiaq. conformant, exiccantque, atque ita illis sunt vsui. Ore siquidem gestata, atque hinc inde conuoluta, sicut dicuntur extinguere, egregie nutrire corpus, famem sedare, vbi cibi, & potus copia non est, & tollere per longa itinera lassitudines. Quin eisdem catapotijs vti solent permixto, deliciarum gratia, Telt, in oppidis domicilijsq. suis manentes, ad somnum conciliandum, ebrietatemq. inducendam, & laborum, curarumq. omnium obliuionem, atque quietem. Est etiam illis pro nummo, & eius plantæ commercio feruent emporia.

Vide & Monardem cap. 52. Consule etiam eos, qui historiam Peruanam conscripserunt, & Cusij notas ad Retre, in Garciam.

Extra dubium est, hanc plantam Rusco vel Hippoglossò esse congenerem, cum foliolum alteri insidere scribatur, & reliqua in descriptione posita non contradicant.

Eius folia vidi apud D. Henricum Coruinum Pharmacopæum, Rusco omnino similia, insidentem tamen linguam non habuere, id quod etati plantæ adscribendum puto.

De COZTIC XIHVITL.

Cap. LX.



HERBA est Coztic xihvitl folia Lini ferens longiuscula, & angusta. caules, tenues, dodrantes. semen orbiculare in summis ramis. radicem longam, tenuem, & fibratam. Nascitur Chalci, frigidis locis ac collibus. Radix tusa, & deuorata ex aqua, semiunciæ mensura, vacuat omnes humores.

Semen in summis ramulis depingitur viride. & in eo apparet linea quadam nigra, qualis in Christophoriana baccis conspicitur.

De HVACVIQVA, seu somno animalis HVACVIQVE nomine. Cap. LXI.

HVACVIQVA volubilis herba est, folia mittens rara, Hederæ figura, sed angusta, & longa. floresque coccineos. caules, exiles, teretes, hispidosque. Radicem verò tenuem. Nascitur temperatis locis, planisque, & humectis Viuapæ, vbi in magno habetur precio. Insigni videtur sapore carere. & tamen ius decocti eius infusum, aluum lenit, aut puluis eius duarum drachmarum pondere deuoratus, eiusque dolorem, contractum præcipue ex albore, leuat.

De *MECAPATLI MECATLANENSI*. Cap. LXII.

radix admodum subtilibus fibris constat. cetera omnia, ut in predicta.

De *MOTINENSI* herba expurgante. Cap. LXIII.

MOTINENSIS herba, folia parua, cordis figura fert. caules rubros atque volubiles. flores rubeos, calycibus similes, vasculaque obrotunda, vb. includitur semen. radicem verò fibratam. Nascitur *Xiquilpa*, & *Tharimbari* prouinciæ Michuacanensis. Semen tritum, atque ex aqua deoratum drachmæ vnus pondere, omnes humores citra noxam vllam expurgat.

Et hac admodum similis priori modo descripta. cui etiam vires purgandi respondent.

De *QUALANCAPATLI*, seu irati hominis medicina.

Cap. LXIV.

HERBA est *Qualancapatlis*, folia saligna proferens. caules contortos, teretes, tenuisque. Nascitur *Hucitlapa*. Frigida est, humidaque, ac saporis & odoris prope nullius. Propinantur folia tula, atque resoluta ex aqua, homini qui ob iram, acceptamue iniuriam malè habet. vnde nomen.

De

De *TEMECATL* expurgante.

Cap. LXV.



TEMECATL expurgans, herba est. folia rara, tricuspidia, ac modica mittens. caules tenues, lentos, repentes per terram. flores orbiculares, modicos, luteosq. iuxta singulos foliorum exortus, toto caulis procurfu, & tandem vascula referta semine, infernè hirsuta, & subalbida. radicem verò Raphano similem, sed tenuiorem. Nascitur *Alcomani* vbique. Radices semiunciæ pondere potæ ex aqua, bilem & pituitam per superna atque inferna, vacuant.

Et hac herba species est *Conuoluuli*. unde etiam vim purgandi obtinuit.

De *TLACOHICHIC OCAPETLA-YUCE* seu *Saluifolia*. Cap. LXVI.

HERBA est *Tlacochichic*, furculosæ radici innixa. vnde profert stiptes tres cubitos longos, teretes, & purpureos. folia serrata, *Saluie* similia, sed aliquantisper latiora, infernè subalbida, ac virescentia supernè. & flores in supremis caulibus candidos, & in pappos abeuntes. Succum vniæ vnus radicum potatum ex aqua, aiunt, pituitam per inferna vacuare, mederique ventris dolori, ac scabiei, splenemque minuere.

De *TLACVITLAXCOLLI*, seu visceribus terre. Cap. LXVII.

TLACVITLAXCOLLI, ab alijs *Yahuacapatli* dicta, herba est folia habens *Origani*, sed longiora, & angustiora, circinataque. & fructum rotundum, toto caulis procurfu vtrinque, iuxta foliorum exortum. Radices verò albas, tenues, & longas. Prouenit *Atlapulci*, vbi vtuntur succo eius instillato naribus, ad pituitam è capite euocandam, & leuandum eius dolorem, tumoresque faciei discutendos, & in magno habent pretio. Radices namque duarum drachmarum mensura epotæ, omnes humores pur-

Cc 3 gant,

gant, citato vomitu, & aluo soluta. Securum est atque innoxium pharmacum, et si anxietatem aliquam nonnunquam excitet, mitius tamen est arena viridi, atque e calida aqua deuoratum.

Radix crassa, non tenuis, ex rubro in album tendens, depingitur. caules geniculati, ut internodium quoduis ipsi nodo insertum videatur. folia bina sibi opposita in nodis.

De TLALAMATE morbi Gallici sedante dolores, & Herba Ioannis infantis. Cap. LXXIX.



HERBA est Tlalamate, ab alijs nuncupata Tlalcimat, seu Cimait humilis, ab alijs herba Ioannis infantis, à Michuacanis Turipitaquam, ab alijs vero Cureci, quæ folia fert obrotunda, terna, Nummulariæ similia. caules purpureos per terram serpentes. purpureos, spicatosque flores. semenque paruum, & rotundum. radicem verò longam, tenuem, & fibratam. Nascitur temperatis locis, aut paulò frigidioribus, quales sunt Mexicani, ac nonnulli ex Michuacanis. Frigida, siccaque natura constat, & adstringenti. medetur vetustis, ac recentibus plagis. diciturque maturare, ac rumpere præter naturam tumores, & abortum coercere. quin & tusa, ac duarum drachmarum pondere deuorata, dolores è morbo Gallico ortos sedare, & vacuare humores omnes. illica verò oculis, eorum inflammationi mederi, ac pediculos interficere.

Folia parum rubent iuxta petiolum in pictura.

Aliam videtur sub eodem nomine describere herbam Monardes, folio Oxalydis, hysdem tamen viribus ad vulnera sananda præditam.

Vide cap. 16.

De TZAGVANGVENI III. seu Hæmorrhoidali Mexicana. Cap. LXXIX.

TZAGVANGVENI, quam alijs à natali loco Caqualpensem plantam vocant, alijs Torolyxtil, alijs Comalquilitl, & Michuacaneses Xeretz, herba est folia habens angusta, & proluxa, magnaque ex parte quina, & similia Tzauhyatl, seu Indico Absinthio. caules sex dodrantes longos. coccineosque flores. Radicem verò fibratam. Prouenit Quauhahuaci, campestribus videlicet locis. Admota hæc hæmorrhoidibus, aut brachio appensa, eas exiccat, atque corrugat.

De

De TTZCVIMPATLI, seu Canis interfectore, vel Hordeolo. Cap. LXX.



*Colchicaria,
Primum
Colchicaria,*

YTTZCVIMPATLI, quam alijs Quimiepatli vocant, Hispani verò Hordeolum, herba est, cuius tria reperiuntur genera. Primum folia fert oblonga, & angusta, lineisque secundum longitudinem procurentibus insignia, è radicibus fibrarum æmulis. caulem verò tres dodrantes longum, ac minimum digitum crassum. cui hærent granula hordeaceæ similia, spicatum composita, vnde nomen. Nascitur in regionibus frigidis. Semen vermes extinguit, vlceribus quorumuis animalium carnibus ingeneratos, si tundatur, & redigatur in puluerem. vlcera putrida. & mali moris, egregiè curat, carnem supercrecentem absumit, pisces inspersum necat, muresque, (vnde quidam Quimiepatli vocauerunt) & carnibus permixtum canes, vnde nomen. quin si puluis idem aquæ commisceatur, linteolumque eodem humore madens, articulis applicetur dolentibus, mirum præstat auxilium. eadem aqua vlcera oris sanantur, colluta pediculi necantur, grauis anhelitus emendatur. & ius decocti spicarum, adiecto alumine, firmat magnopere dentes. Secundum genus apud Michuacaneses nascitur, eisdem viribus, sed radice cæpis fibratis persimile. Est & tertium apud eosdem, folijs angustioribus, orbiculari radice, sapore fere nullo, & quo ad cætera simile.

Describit hanc herbam etiam Monardes, sed sub Ceuadilla nomine. Et nisi mentionem faceret vaginalium quibus semen includitur, putarem non in frumentaceo genere hanc herbam reponendam, sed in genere Ranunculorum, vel Anemones. Vix enim in frumentaceis tanta acrimonia reperitur. Et Author noster ait, folia oblonga, nec addit hordeo similia. vnde forte alterius generis fuerint, quali in lingua Dalechampi videas. addit caulem crassitie digiti, quem in frumentis non inuenias. spica tandem etiam inter Ranunculos, & Anemonum genera reperitur. in quibus etiam filamenta illa, forte hordei aristas representare possunt. sed in hac re nil assero. Plantam quam Lugdunensis depinxit, ex descriptione tantum, ut mihi videtur, expressa est.

Sequentes vires accepti à Reuerendo Patre Societatis IESV Assistente Hispaniarum ab Indis exploratas. Puluis huius herbe vlceri Cancroso impositus, necat Cancrum. Sanat vlcera quantamcumque sint antiqua & maligna. interficit vermes in vulneribus natos, tum in homine tum in bestijs. tollit omnem scabiem inspersio pulueris. Confirmit dentes, si ees aqua in qua puluis fuerit bis terne abluas. Tollit etiam dolorem dentium licet computruerint. Lauando cum aqua hordeoli scabiem eodem die liberat.

De



De CACATZIN, seu parua
ÇACATL. Cap. LXXI.

HERBA est Cacatzin folia Mali Punicæ proferens, sed longè maiora. caules purpureos, ac fructum orbicularem cicere maiorem. Radicem verò fibratam. Nascitur in iugis arborum expertibus, regionum frigidarum, quale est oppidum Tlilyquitepece Tlaxcaltecarum, vbi in maximo habetur ab indigenis pretio, putantibus incolumes ab omnium morborum iniurijs degere, ob eius herbae copiam. Cortex namque radice redactus in puluerem, ac duarum drachmarum pondere deuoratus, aluum leniter, ac citra noxam vllam subducit.



De TCHCAXIHVITL, seu Gossipio. Cap. LXXII.

HERBA est Tchcaxihvitl; Gossipium à nostris nuncupata, quæ est huius nouæ Hispaniæ frequentissima, & cuius per singulos annos messis fit vberissima. Nascitur in calidis, humidisque, cultis præcipuè, locis. Germina tusa, atque e pota ex aqua, aiunt, mirè resistere puncturis Scorpionum, Viperarum, cæterorumque animalium venenatorum, caulis videtur frigidus, siccusque, & adstringens. & vlcibus medetur leuigatus, & admotus. folia verò glutinosa naturæ.

Gossipium Europe notissimum, cuius descriptio vberior extat apud Martiholum, Herbarium Lugdunense, & alios Botanicos.

De

De ATLYCHIPINCA, seu Aqua gutta. Cap. LXXIII.

ATLYCHIPINCA herba est paruula, folia fundens Solani, Piperisvè, neruis secundum longitudinem procedentibus, molliora tamen, & magis acuminata. caulem breuem, tenuem, ac tenerum. Radices verò capillis similes. Sapore, & odore insigni caret. Prouenit in calidis Pahuatlanensibus, circa loca humentia, amplexa cautes. Frigidaque, & humenti constat natura. Propinatur vnciæ vnus mensura, ex aqua fontana, Buglossiuè, aduersus cordis affectus, quos vehementi ardore laborantes pati solent. Sedat enim calorem, arceat animi deliquium, omnemq. angustiam, atque anxietatem fugat.

De XICAMA. Cap. LXXIV.



HERBA est Xicama vocata, volubilis, quam Mexicanes Carzot, seu radicem succo manantem, vocant, radice crassæ, in orbicularem formam magna ex parte vergentis, candidæ. grati nutriti, & impensè refrigerantis temperiei. vnde prodeunt rami tenues, teretes, longi, & per terram sparsi. è quorum singulis per longa interualla, terna oriuntur folia, composita in modum crucis, ac veluti per medium orbiculariter secta. filiquæ etiam mediocres, quibusdam infartè lenticibus. Vbiq. prouenit, sed præcipuè hortensibus locis, sata atque exulta. Vfus est radicem, vt quæ in mensas postremas subinde veniant, gratamque, & frigentem, & flatui generando aptam, præbeant æstuantibus alimoniam. neque admodum malam, si prius aliquandiu pendeant perflabili loco, ac permittantur ibi emarcescere. Sitim eadem extinguunt, linguæ calori, & siccitati aduersantur, febricitantibus peropportunum alimentum præstant, corporaq. refrigerant, humectant, & alunt. Saccharo conditas aliquando audio radices, aut arena obrutas, delatas fuisse in Hispanias, nec priusquam eò peruenirent vitium aliquod contraxisse.

Flores purpurei depinguntur in hoc legumine, siliqua vero nigra.

De COZAMALO XIHVITL, seu herba Iris. Cap. LXXV.

COZAMALO XIHVITL herba est radici tenui, & longiusculæ iunixa. vnde profert caules. & in eis folia rutacea, stipantia vtrinque caulem